Dissertatio Medico-experimentalis,

Que,

Coram Eminentissimo, et Reverendissimo

D.D. Curtio Origho

Bononie a Latere Legato,

Recitanda erat, Die 18 Mensis Xbris,

Anni 1717,

In Publica Academia Instituti

Scientiarum Bononie,

A

Victorio Gornia

Phylosophie, et Medicine Doctore.

D. O. M.

Postquam Beatissimus hic Terrarum Angulus diu Ærumnarum expers, durissimo irati Cæli, vel potius Hominum genio, Calamitatib. obstrepentium Armorum, et exundantium Aquarum obrutus est. Postquam quatuor retro annis sævissima Bovini Generis Lue divexatus, et fractus: Non vanus incepit metus homines ipsos vel eodem, vel parum absimili maligno myasmate tactos, tandem prosterni posse. Nam quid facilius præstari potest a putrescentib. Cadaveribus, a stagnantib. undiq. Aquis, quam Aeris, et Frugum insalubritas et exinde hominum, et animalium pernicies? — Nequeunt profecto fædus inire Aeris impuritas, et Animalium sanitas. Animalium clades et soli fertilitas, soli sterilitas, et Reipublicæ Incolumitas. Sic nequeunt Homines a tot circumdati domesticis Hostibus dulcissima Valetudine frui, cum nequeant humores Corporum tandem non inquinari et malignis, et ferocissimis Morbis non corripi atque corrumpi.

Exitus rei — Proh Dolor! Infelicissimum implevit augurium! Dum a Bovina Lue, statim subdolæ et deleteriæ Febres hoes invaserunt, iisdem fermè Bovinis stipatæ Symptomatibus, et Characterismis.

Remedia hucusq. ambigua ad hasce Febres oppugnandas, non amplius ambigua quærere, Laudabile. Invenire, fructuosum. Palam facere, pulcherrimum certè esset.

Atque utinam mihi tantus meditandi vigor, tam divina inveniendi facultas, Eloquii tanta vis, tantaque

copia

copia contigisset, ut digna huius amplitudine Loci, digna tanti necessitate argumenti, digna Emi præsentia Principis et Auditorum præstantia mea dictio videretur. — Quamvis autem hoc sit citra spem, me tamen non pudebit loqui, nec pœnitebit esse locutum timida quamvis voce, infirmo ingenio, debili eloquio. Cum ad dicendum insurgam coram Viris neminem despicientibus, Pulcherrimarum Artium Instauratoribus admirabili undique præditis animi magnitudine. Asperrimam igitur, pergrandem, perdifficilem hanc Provinciam tutissimo, et lætissimo aggrediar animo. Circa quam etsi nec satis bellè, nec abundè satis dicturus sim, ingenuè tamen satis, apertè multum dicturus ero. —

Statim ac miserrimos Boves contagiosum venenum aggrediebatur, vires concidebant, et frangebantur: dyspnea Tussicula, sopor, et stupor, horripilatio quoque cum tremoribus manifestabantur. — subsequebatur exindè calor acer, et vehemens, exceptis extremitatibus, quæ frigebant: — sitis aderat inexplebilis, et tandem alvi prodibat fluxus, nunc biliosus, modò sanguineus, semper tamen summè fœtens, et pestilens. Oculorum lachrymatio, muci è naribus profluvium, et sæpè sudor universalis graveolens, cum pustulis cutis, et præcipuè linguæ, gingivarum, et palati aquosis, et sublividis. Ultimum claudebant diem miserrimi Boves, modò citius, modò tardius; et ii pauci qui septimam effugiebant, ut plurimum servabantur: quarta, quinta, sexta, et septima omninò periculis ple-

na

MSS 228 B
RB NMAH

na cum essent. Sic Hip: Lib: de Crisibus — — —

Febres maxime malignae, et quae cum signis Calamitosis existunt, quarto die interficiunt, aut etiam prius.

Febres malignae, quae in Hoes irrepserunt, et adhuc grassantur, parum a Bovino Morbo diversae, minus tamen feroces mihi visae sunt. Cum aegri in principio dolorem universalem Corporis Rheumatico similem persentiant. Mox delirio ut plurimum soporoso, et comatoso corripiantur. Nonnunquam continuis divexentur vigiliis. Frequentissime Diarrhea variorum colorum, et nonnunquam purulenta afficiantur. Maculas cutis, seu exanthemata diversa ostendant. Oris fetorem emmittant. Urinas subiugales excernant. Pulsus habeant vehementes, et frequentissimos, et ad ultimum, modo citius, modo tardius properent diem circa decimam quartam, quam qui effugiunt, pro maiori parte servantur.

In Boum Cadaveribus observata fuerunt Viscera omnia, sed imi Ventris praecipue ut plurimum inflammata. Et persaepe ulcerata, imo sphacelata Intestina: Hepar solito grandius, bile, non sanguine turgidum, felleâ cisti ipsissimâ bile turgidissimâ.

In Hominum paris Cadaveribus observans, et imi Ventris, et Pectoris Viscera persaepe inflammata, et Vomicâ laborantia. Hepar similis, et Cistis, solito grandiora, et Bile tumida.

Inter unam, et alteram Boum Meninges unciae circiter tres Lymphae sanguineae observabantur. Sed hasce in Hominum Cadaveribus nondum mihi data fuit opportunitas

tas serra, et scalpello Crania aperiendo, repperire.
Verum suspicari licet in ijs, qui humidioris sunt tempe=
raturę, et Lethargici ultimum claudunt diem, Lympham
hanc inter unam, et alteram meningem, vel in aliqua
Cerebri cavitate coacervari.
Excell:mus Dnus Bartolomeus Cornia, medicus Floren=
tię Aulicus, nostri sęculi Clarissimus, è vivis, mali=
gna è grassantibus ferocissima febre sublatus die
Morbi quinta, cum profundo Lethargo, multisque col=
liquativis symptomatibus, non sine animi mei angore,
et cordis fletu, recenter per litteras intellexi.
Casus hic funestissimus ille fortasse erit, qui primus
omnium monstrabit mihi collectionem Lymphę in
aliqua Capitis, sive Cerebri cavitate. Cum per litteras
similiter intellexerim inspectionem Cadaveris Anatomicam
Amicos, et Consanguineos fieri velle, quę tandem accura=
tissime mihi comunicanda erit.
Medicinę presidia maxima in Boum Lue, pene nul=
li fuere momenti. Sanguinis missiones a diversis Cor=
poris partibus, Cauteria, Inustiones, setones parum pro=
fecerunt. Alexipharmaca, salia volatilia, Remedia
cordialia, Potiones acidę, species aromaticę, suffumigia,
Odoramenta, et sexcenta alia nihil iuvarunt. Quâ
de re consultus fuit ab Amplissimo, et Vigilantissimo
nostro Senatu ad quamplurima experimenta, pręci=
pue in Sanguine, Bile, et Urina confugere, ut si
possibile foret, causa Morbi recluderes, et Remedia
innotescerent.
Presidia similiter maxima (quę tamen pretereo, vesican=
tibus.

tibus non exceptis) in hoūm malignis febribus, parum proficua detecta sunt; etsi non pauci servati sint, qui tamen lentissime, et sine perfecta Crisi, quę a vero morbi remedio obtineri deberet, convaluerunt. Quapropter ego quoq; in hoūm sanguine, bile, et urina, ea omnia experimenta quę potui feci, cum eiusdem conditionis acidis et alkalicis spiritibus, et diversorū saliū solutionibus, ea inquam omnia experimenta quę ab diligentissimis Viris in Sanguine, Bile, et Vrina Boum facta fuerunt. Et eas omnes pręter propter in sanguine humano, bile, et urina infectis adnotavi alterationes, et mutationes, quę ab iisdem in Boum Bile, Vrina, et sanguine detectę fuerunt.

In Boum igit. infecto sanguine spūs nitri coagulum notabile repente inducebat, et colorem primo nigricantem, mox fuliigineū exprimebat. Qui tandem minimâ factâ seri pręcipitatione in eliquati sanguinis colorem terminabatur.

In portione ęquali infecti sanguinis per affusionem spiritus nitri dulcificati oīa supraexposita observabant, sed maiori temporis intervallo.

A spū salis, sanguis immediate coagulabat, et nigrum induebat colorem.

Spūs salis dulcificati idem pręstabat, sed minori vi.

Oleum Vitrioli coagulum aliquantulū fortius inducebat ac spūs salis, et illud idem efficiebat oleū sulphuris.

Ab aceto tandem destillato sanguis non coagulabat, sed perfecte fusus colorem suum rubicundū in valde obscurū commutabat.

Hęc

Hęc de spiritibus acidis. Quod enim ad Alkalicos spectat,
Affusio spus salis ammoniaci, et sanguinis humani
sanguinem fundebat, et commutabat in magis purpu-
reum. Hoc idem efficiebat Oleum Tartari, sed adhuc
rubicundior color sanguinis manifestabat.
Hinc ab activissimis liquoribus transitu facto ad minus
activos, hę contingebant mutationes.
Solutio Aluminis coagulabat mediocris sanguinem, absq;
coloris alteratione.
Solutio Vitrioli Germanici molle coagulum paris indu-
cebat, primò tamen alterato sanguinis colore ad obscu-
rum, deindè ad minus obscurum et eligato sanguini vitem.
Solutio Vitrioli Cypri idem efficiebat, sed sanguis vi-
ridiorem colorem induebat.
Solutio salis comis sanguinem fusum manutenebat, sed
ipsius colorem in obscurissimum commutabat.
A nitri solutione fusus permanebat sanguis, et coloris
rubicundioris.
A solutione tandem Mercurij sublimati Coagulum ob-
tinebat clari coloris, Puri fermè consimilis, et a forti
Chinę Chinę decoctione in refrigerato, et natè coagula-
to sanguine infecto, precipitabat tantummodò medio-
cris seri copia, nullâ factâ in coagulo alteratione.
Hisce in Sanguine periculis factis, circa Bilem hęc ob-
servabant.
Spus nitri Bili affusus colorem ipsius in cineritium
commutabat, et Puri similem, cuius tamen ęmulabat
graveolentiam. Innatantibus huc, illuc, crassis Bilis
portiunculis discerptis sublutęis.

Sal

Sal marinum idem pręstabat, excepto Bilis colore mi-
nus ad subluteum vergente.
Spus salis marini, et nitri dulcificati supradictas mutões
quamvis tardius producebant.
Ab oleo sulphuris eędem mutões obtinebantur, at separatio
portiuncularum Bilis discerptarum ocyus promovebatur.
Oleum vitrioli hęc omnia, et ipsum pręstabat, sed Bilis
per eius affusiones crassior, et graveolentior evadebat. Quę
omnia ab affuso pariter aceto destillato contingebant.
Non alterabatur saltem sensibiliter Bilis a spiritibus Alkali-
licis sanguinis humani, et salis ammoniaci, sed Oleum
Tartari pręcipitationem expositis consimilem gignebat,
Bilem tamen minus illaqueabat.
Solutio Vitrioli Cyprij, Germanici, et Aluminis globulos
cinerei coloris in Bile huc illuc pręcipitabat, qui si-
mul uniti liquorem Pueri similem, sed crassum constitue-
bant. — A nitri solutione Bilis nativo suo colori resti-
tuebatur, Solutio tandem Mercurij sublimati Bilis
colorem alterabat ad Fuligineum. Hęc de Bile —
Quo ad Urinam — A spiritu Nitri affuso efferve-
scentia cum fumositatibus elevabatur, et urinę portio
in coagulum colorem referens exiccati sanguinis unie-
batur, Altera in limpidum solvebatur serum. Quod
idem a spiritu nitri dulcificati habebatur, sed minori vi.
A spu salis marini illud obtinebatur, quod a spiritu
nitri simplicis, sed effervescentia non erat tam valida
et coagulum magis erat discerptum, necnon coloris im-
pense crocei.
A spiritu salis dulcificati hoc ultimum efficiebatur, sed remissius.

Vitrioli

Vitrioli oleum promovebat statim insignem efferve-
scentiā diutius perdurantes, cū maiori calore. De re-
liquo in præcipitatione, et coagulo supradictorū liquo-
rum viribus equiparabatur.
Oleum sulphuris affusum illud idem præstabat, quod
marinum efficiebat sal. Et quamvis globuli, aut ef-
fervescentię signa non apparerent. Notabilis tamen
calor quem gignebat, inconspicuę effervescentię argu-
mentū esse videbat.
Turbabat urina ab affuso aceto destillato, et spumans
albescebat, necnon filamenta colorem eliqati sanguinis
referentia præcipitabant.
Naturalis urinę compages, et color facta olei Tartari
affusione, nullatenus alterabat. Sed odor tantū exhal-
tabat ipsius. Quod et ab affusis spiritibus sangui-
nis humani, et salis ammoniaci producebat.
Præcipitabant, globulorū albidulorū ad instar, in
urina quędam portiunculę, quę universū ipsius cor-
pus turbidi, et cinerei subobscuri coloris reddebant
factâ solutionis Mercurii sublimati affusione.
Vitrioli Cyprii solutio crassam statim reddebat uri-
nam, quę consistentiā lactis aquirebat, et colorem
nigrocinereum: Quod et a Germanici Vitrioli, et Alu-
minis solutionibus obtinebat, at cū maiori crassitie.
Nitri solutio urinam nullatenus, aut parum tur-
babat.
Sal marinum, et nitrū in pulverem redacta, urinę
mixta vasis fundum petebant, nec liquabant.
Sal autem ammoniacū præcipitabat, et solvebatur.

Urinâ

Vrinâ tamen ab horum miscella neutiquà turbatâ.
Galle tandem pulverizate nihil urinę impertiebantur
preter colorem subviridem.
Possent interea alia quamplurima minoris notę ex=
perimenta, pluries cęteroquin, et sedulo celebrata enun=
ciari. Et ea quoq; a me facta ad enarratorũ simi=
litudinem in boum sanguine, bile, et urinâ. At
longe nimis quàm decet in minimis moraremur.
Illud tantummodo sufficiat repetere, quod in princi=
pio dixi, eas nempe omnes preter propter in sanguine
humano, Bile, et Vrina infectis me adnotasse per
similia Experimenta alterationes, et mutationes, quę
in Boum infectorũ Bile, Vrinâ, et sanguine Dili=
gentissimi Viri iussu Amplissimi nostri Senatus ad=
notaverunt. At ad quid tot Experimenta?
Hîc plane asserendum in palpabilibus tenebris inge=
nia nostra versari, et parum aut nihil veri è tam
absconditâ Abyssu, aut p exquisitissima experimen=
ta, aut per rarissimas similitudines, et comparationes
erui posse. Alkalia enim fundunt, Acida coagu=
lant et interea causa morbifica summe volatilis sub
iudice non cadit. Hęc tamen Causa, et per compa=
rationem Bovini Morbi cũ Febribus houm mali=
gnis, et per successũ correspondentem experimentorũ
videtr ambobus esse communis.
Interea Morbus uterque absq; probatione biliosus
est; Nemo enim tantorũ accidentiũ ferociã, et se=
riem explicare poterit absq; eo quod ad Bilis vitia
recurrat. Et eò magis dum in Hepate, et Bile semp

manifeste

manifeste peccatur, Cadaverum sectionibus comprobantibus. Iam plures lapsi sunt Anni, a quibus Auster, et Euronotus venti calidi, et humidi, ut plurimum dominantur: Humidi ob copiosissimas nostrarum præcipuè Paludum, quæ Æstivo tempore pro maiori parte exsiccantur, evaporationes: Calidi ob exhalationes sulphureas è terræ visceribus, et mineris depromptas, quæ terram ipsam subterraneis explosionibus concutere potuerunt. Hinc Terremotus iam Romæ infestissimi, deindè plurimis Italiæ locis, et tandem Bononiæ quatuor ab hinc annis sè prodiere, - Ita Seneca - Non mirum solere post magnos terrarum motus Pestilentiam fieri. multa enim mortifera in alto latent.

Ventos hosce calidos, et humidos familiariter flantes, et viscido ac insolito rore (prout observatum est) fruges, et Herbas conspergentes, et inquinantes. Æstates veris speciem exindè referentes. Caliginosos Autumnos. Inæquales Hyemes. Subversa quasi, et confusa anni Tempora, et Temperies in medium ponamus pro Extrinseca et comuni harum Epidemiarum causâ. Sic male tumulata tot Aliem Cadavera, Immò tot militum, qui tristes Cupressum sujs iunxerunt Palmis, latrante Syrio putridas, et veneficas exhalationes producentia - de quibus Ovidius ——

Corpora fœda iacent, vitiantur odoribus auræ,
Afflatuque nocent, et agunt Contagia latè.

Arsenicum ingens corrosivum, quod inter venena primatum obtinet propter acrimoniam volatilem, nihil aliud est, quàm sulphur volatile: Immò nonnulli Classici

Authores

Authores, sulphur appellant Arsenicum inchoatum.
Statuamus igitur Principium sulphureoarsenicale
è terræ visceribus per tot annos explosum, et a Ca:
davericis, et Paludosis exhalationibus auctum Causam
fuisse Contagiosæ Boum Epidemiæ oppitulantem,
et exinde hoies disponentem ad Analogos funestissi:
mos morbos.
Commixtum præcipue Bili principium hoc sulphu:
reó: arsenicale pro causâ proximâ, et coniunctâ harum
Epidemiarum exinde determinemus.
Quid enim ad fervores excitandos, Malignas febres
gignendas, Deliria, et sopores procreandos, Diarrheas,
et dysenterias provocandas, Inflammationes accenden:
das; suppurationes coacervandas; Hoies uno verbo ene:
candos Bile validius, et promptius? — Divinus seneca.
Dum Bilis ingreditur venas, tunc fit separatio sangui:
nis a sero, et fit febris. O quàm benè mi senex,
quàm aphoristicè dixisti ly separatio —
Intellexisti enim rarefactionem, fermentationem, fusio:
nem, exaltationem, strictiorum contactuum divisionem,
totius Machinæ Bellum, et Confusionem.
Liceat interea Auditores Bilis recensere iocosissimam
et ingeniosissimam Comparationem ad rem facientem.
Quam Bavarus quondam Amicus meus suavissimus
cum malis feminis facere consueverat.
Malas feminas appellabat — Picas in fenestra — Ca:
pras in Horto, Fetorem in Lecto.
Pica in fenestra est Bilis, aiebat ille. Nam quando
exaltatur ad animæ fenestras, Oculi nimis vident,
Aures

Aures nimis audiunt, Lingua loquit nimis.
Capra est in Horto, nam quando Bilis in aliqua no:
biliori, aut delicatiori parte descendit, quot Rosas,
quot Lilia violat, et evellit?
Bilis tandem Fetor est in Lecto, In Intestinis enim
stabulat, et reconditur, quæ a graveolentia Cloaca cor:
poris nuncupantur.
Considera ergo Amice mi, aiebat ille, quando furens
hæc Fera morbosè se gerens, sua disrumpit repagu:
la, quot incendia, quot strages: Et de facto quasi
fatendum est id, quod aiebat Hipp.us nempe – Quod
omnes Morbi ex Bile – Reducunt siquidem vel
primario, vel secundario, vel per excessum, vel per de:
fectum, omnes quasi ad eam Morbos.
Nonnulli Doctissimi Medici asseruerunt causam Bo:
um Epidemiæ in principio quodam coagulante con:
sistere, considerato anhelitu, stertore, stupiditate,
quæ morbum concomitabantur. Quæque videbantur remora:
ti motus effectus. Naturâ ipsâ Boum tardâ, et eorum
sanguine naturaliter crasso, quin et inter venena hac
de causâ reposito suam hypothesim coadiuvantibus.
Verum si cuilibet Phylosophandi libertas conceditur, absque
eo quod magnorum Virorum honor, et laus etiam dissentien
do diminuatur: Mihi cui Amicus Socrates, Amicus Plato
sed magis amica Veritas oppositum statuere licebit. Nec
displiceat contrariæ sententiæ Clarissimis Promulgatoribus in
meam fortassè descendere, iuxta monitum Ciceronis ad
Atticum – Nemo Doctus (ait ille) mutationem consilii in:
constantiam unquam esse dixit; Nec Præstantibus Viris lau:

data

lata est in unâ sententiâ perpetua Mansio.
Mediolanenses, et Mantuani Medici sanguinem ob: servaverunt in omnibus Boum Cadaverib. fusu, et liquatum; Quod et nonnulli ex Bononiensib. quandoque inspexerunt. Et quamvis sanguis Cadavericus in grumis nonnunquam concretus inventus sit: Hoc tamen contigisse probabile e ab insigni tenuioris Lymphaticę et rubicundę substę iactura, factâ p dysenterias, la: chrimationes, sudores, et perspiratus. Quâ de re, quę in canalibus remanserunt, fuerunt tantummodò crassiores et gelatinosę seri et sanguinis partes. Nec venit in culpa, meo videri, huius effus indicatus principiu coagulati: vum. Boves nonnulli sub Iove frigido derelicti sine ulla salutis spe aliquando evaserunt. Notandu igit: quod si a coagulo Morbus ortum duxisset, nullus Bos aeri nocturno et gelido expositus evasisset.
Ulterius in Agilioris, Iuniorib, Biliosiorib. Bobus, et Hominibus, facilius, et truculentius suas Morbus exercuit vires; Tardiores Temperaturas remisse vel nullatenus invasit. Ex quibus oibus coniectandu Principiu hoce Morbosu colliquativum fuisse et esse. Spectatâ ulte: rius tantaru fusionu serie. Spectatâ quoq; parciori sanguinis missione, largioris magis utili sententiam fir: mantibus.
Nec obstare videt, id quod prędicant Doctissimi Adversa: rij, sanguinem nempe Bovinu naturalit. crassu, et len: tum esse. Cum hoc verum sit comparato sanguine Bovu sanguini aliorum Animaliu agilioru, vel sanguini humano. Falsum verò comparando Bovinu sanguinem Diametro ca:
nalium

nalium amplissimorum per quę excurrit.
Stet igitur sententia principij colliquativi arsenicalis corro:
sivi, è terrę visceribus primò explosi, deinde à Cadave:
ricijs, et Paludosis exhalationibus aucti, et aeri commixti,
Bilem primò conspurcantis, et disponentis, mox excitatis,
et violatis ijs, quibus coerceri deberet repagulis ultrò pel:
lentis, ad exaltationes, fusiones, corrosiones, et precipitatio:
nes inducendas; ex quo primò Bovina Lues, deinde ho:
minum grassantes adhuc malignę febres ortum duxerunt.
In sanguine infecto per Analysim ab diligentissimo nostro
Chymico Lucretio Bontio inventa est maior salis fixi co:
pia, et minor volatilis. Quod è contra in sanguine sano
evenit; Argumentum apud me principium Biliosum colli:
quativum confirmans. Non est enim qui ignoret, quan
tum volatilis salis, Bilis, dum rarefit, dissipet, et absu:
mat, vi sulphurei principij naturam agnoscat.
Iam satis superque, et quidem more suo solidissime Im:
mortalis Gulielminus noster, quondam Magister meus,
demonstravit naturam sulphurei principij ex Ethereo=sa
linam. Sal igitur volatile in hisce Morbis, magis absu:
mi debet, quam fixum, in quibus sulphureum primum prę:
dominatur, et precipuos motus suos exarcit corporibus sa:
lino=volatilibus. Quę maximum sunt, et unicum coercendi
nuclei Ętherei Instrumentum, unde sulphur precipue Ele:
mentare conflatur. Hinc apparet ratio, quare in san:
guinis sani analysi, sal fixum in minori quantitate ob:
tineatur, volatile verò in maiori. Nondum enim Colli:
quativę Bilis incendium in hoc Casu salia volatilia de:
flagrando consumpsit. ——

Non

Non fert igit. animus dicta retractare, et canere Palinodiam; Quoties ad mentem revoco tot solida argumenta myasmatis huiusce maligni sulphureo: arsenicale colliquativam naturam aperte designantia, et suadentia. —

Exhorrescat interea necesse est, quicunq; asserimam nostrorum temporu infelicitatem, tandiu perdurante aeris insalubritate, supremasq; nostras necessitates revolvet: Nec lingua modo, sed mens ipsa refugit, hęc Tragicis Cothurnis asperiora repetere. Sileant Nebulones illi, et fumivenduli, qui ex Maligno aliquo Astroru influxu, et coniunctione, causas nostrarum Calamitatu intrepidè divinant, Non enim alio modo prędicant qui ex fumo aurum captant, et fumu vendunt: Sileant, dum tot hominu crimina unicu esse Irę Divinę fomitem fatendu est; Quę per tot terraru motus, tot armoru strepitus, et strages, tot aquaru inundationes, tot demq; animaliu et hominu lues, cervices nostras plectit, et revocat ad Pęnitentiā. Hyeremias — Persequar eos in gladio et Pestilentia, et dabo eos in vexationē. Sed quoniā uti docet Sapientia — Neque herba, neq; Malagma sanabit eos sed tuus sermo Domine qui sanat omnia. Inclina Misericors Rex, Inclina aures tuas vocib. nostris, respice Lachrymas, exaudi Preces. Fatemur enim, quod una salus fidere Deo, sunt cętera frustra. —

Cum ordo tamen Divini genij peculiaris postulet, ut ad superandas Calamitates, ea omnia etiam tenteniq; quę tentare nobis datum est Artis et Naturę Presidia: Idcirco ad quid agendum descendamus oportet. Cum interea sit probabile supremi Numinis Iram, a tot

votis

votis, et precibus placatam iri.
Indicant profecto in malignis hisce morbis a Bile pendentibus, quae malignis impregnata est corpusculis sulphureo: arsenicalibus colliquativis, Indicant inquam remedia ea, quae Bilis rarefactionem, et fervorem compescunt. Quae arsenicalia per alkalinam virtutem corpuscula ebibunt. Quae volatilia, et vitalia salia reparant, et conservant. Et fibrae vim, et tonum conciliando ad blande oscillandum conducunt.
Relictis tamen diversi ordinis remedijs, quae ab alijs, vel a me excogitari, aut experiri possent. Ea tantummodo commemorabo, quae tutiora et utiliora felicius expertus sum, quaeque brevi ordine indicabuntur, ad Auditores minus gravandos, et ut citius Vela mea colligam, et Portum tandem teneam.
Typus harum Febrium Malignarum in hominibus ut plurimum duplex est. — Primus sapit continuam continentem Febrem. — Secundus continuam remittentem cum rigidulâ quadam subobscurâ invasione duplicem adumbrante Tertianam. Ferocior secundo, usquemodo mihi visus est primus Typus. In quo iam essentialiter sanguinis simplex fermentis, immo succo nerveo, et spiritibus commixta venenatae Bilis pars volatilior morbum efficit, et conservat, absque eo quod requiratur ipsius Bilis affluxus, et periodicus ingressus in venas: Qui in secundo tamen requiritur Typo. Cum rigidulae illae invasiones, duplicem continuam Tertianam quodammodo designantes, nequeant meliori modo explicari, quam per ingressum stato tempore in venas materiae morbificae.
In

In primo Casu nil novi præstantius aquâ quadam temperatissimâ Alexipharmacâ Alkalinâ. Quæ peculiari modô per retortam igne arenæ eliciz. e viperis, contraiervâ, scorzonerâ, theriacâ &c. Cuius tamen descriptionem, quæ varia esse debet in varijs subiectis, reticebo, usquequo firmiores circa eam, statuas observationes: Etsi certum sit me usquemodo in eius exhibitione (dummodo tempestiva fuerit) felicissimos habuisse eventus. Ante quartam soleo eam exhibere quotidie prosequendo in hora minoris afflictionis ad uncias tres, vel quatuor, usquequo Crisis appareat. Quæ tandem circa decimam quartam erumpere perfectissima solet, tantâ primò sudoris, posteà urinarum urinarum copiâ, ut aliquando me deterruerint. Hoc memorari sufficiat quod in aliquibus plusquam quinquaginta indusia sudore madida spatio triginta horarum felicissimè mihi datum fuerit obtinere.

In secundo casu, dum s. Febris Maligna Tertianã duplicem aliqualiz. imitaz. — Timeat qui timere vult, China Chinarum remedium est tutissimum et innocuum, ante quartam exhibita, et etiam prius, et in usu posita cum aliquo copioso appropriato vehiculo iuxta Methodum circa dosin Celeberrimi Dni Torti usque ad Morbi finem. Cuius Chinæ Chinarum virium argumentum invincibile a posteriori est, quod ij (saltem quos ego observavi) qui ea usi sunt, mortui non sunt. Ex quo Philosophari etiam licet quod in hâc hominum Epidemiâ pro Præservativo tutissimo, et nobilissimo usurpari possit, ad exemplum

Ludovici

Ludovici Magni, cui ultimus strepuit Orbis, Franco=
rum Regis. Qui post Talbotij tempora, et Chinę ex=
ordia, usq; ad finem gloriosissimę Vitę suę, tali
frequentissimè usus remedio preservativo, ad Hercu=
lea perficienda opera, et ad ultimam quasi senectam
Juvenilibus viribus et incolumitate pervenit.
In utroq; tamen Typo parcè sanguinem mittere. Clys=
matibus emmollientibus statim a Febris primordijs,
crudo adhuc existente Morbo uti. Alkalicis fixis,
Chrystallo precipuè montis, sed cum Vehiculo largis=
simè indulgere; Juris tenuis, vel aquę alicuius des=
tillatę alkalinę, ~~copę~~ vel destillati seri copia hauri=
re Proficuum observavi.
Salia autem volatilia appellata. Pulveres cordiales.
Confectiones. Mixturas calidiores alexipharmacas.
Electuaria. Remedia s. quę in bolis, vel in aliâ
quacunq; formâ solidâ, aut siccâ exhibens.
Sthomacum gravare. Excalefacere. Diarrheas ci=
tius movere. sitim, iactationes, linguę ariditates
nigredinem, oris amaritudinem, et fętorem gignere
Febrem et symptomata ferociora augere, adno=
tavi. Ex quo adhuc fortius in meâ sentiâ fir=
matus sum, Febres hasce hominum malignas fuis=
se videlicet, et esse Prolem causę Bovini morbi.
In Boum enim Omaso reperiebatur portio quędam
solida et sicca Cibariorum, quę facilè in pulve=
rem redigi poterat. Tanta erat in secundo illo=
rum Ventriculo siccitatis, et caloris rabies. Et in
hominibus observes tanta, et talis in sthomaco vis=
ciditas

veditas, ut ea omnia, vel non sustineant, vel non dissolvant remedia, quę fluida, vel fluido vehiculo large diluta non sunt. Quibus tamen nonnulli Medici, sine copioso vehiculo, et exinde sine fructu, et, si liceret dicere, cum detrimento utuntur - Miserrimos homines (ut Politissimi Politiani Pulcherrima frasi utar) Miserrimos homines tali Methodo officiosissime vexando.
Sed iam mihi videor de Boum Epidermia, et hominum malignis Febribus, adhuc grassantibus, ad nauseam usq; ingenue tamen satis, aperte fortasse nimis, quod sentirem, potissime dixisse.
Seneca in Naturalibus Quęstionib. ——
Plurimus (ait) ad inveniendum contulit, qui speravit posse reperire.
At dolendum cum Salviano ——
Maximam partem eorum, quę scimus, esse minimam eorum quę ignoramus. —— Et cum Salustio —
Satis Eloquentię, Sapientię parum; Verborum Flumen, Gutta Sapientię.
Proh igitur Medicinę Calamitas. Quid agendum?
Dum rationabiliora Medicinę tentamina imposterum vel ambigua, vel languida, supervacanea fortasse deprehendens? Quid agendum?
Falx, Falx radici apponatur. Scimus enim (Verba Iustini) Scimus, quod salubritas Cœli per omnem Hyspaniam ęqualis est, quia aeris spiritus nulla Paludum gravi nebula inficitur. — et Palladius - Aeris salubritatem declarant Loca ab infimis val:
libus

libus libera, et nebularum noctibus absoluta. —
Hinc sanitatis — Phyllidius — ———
Hinc sanitatis pars hęc est potissima
Haurire purum spiritum non turbidum.
Romana Pestis Anno 608 — ab exundantibus
aquis ortum duxit — Referente Platina in
Bonifacij quarti vita.
Sic Pestis Vniversę Italię a Pluvijs, et inundatio:
nibus Anno 1475 — Asserente Saladino in suo
Tractatu de Peste.
Pestis similis Italię, et Anglię Anno 1500 — ab in
undationibus — Prout Iovius Lib: 4.° suarum His:
toriaru refert.
Pestis tandem universę Italię Anno 1528 — ab
Hyemis Austrina, et Pluviosa constitutione, et in:
undationibus Maiorum Fluminum in Vere nec:
non ab Aere Caliginoso — Clarissimo Fracastorio
Georgio Agricola, Iovio, et alijs referentibus.
Quid plura? ut innumera alia prętercam: Pestem
quolibet Anno Ęgyptum depopulantē — Alpinus —
Bontius — omnes denique fatent Historici — Certe
ob Nili inundationes Annuas fideliter recurren:
tes, alioquin necessarias, ubi exsuccus suos imbres
perpetuo negat Cęlum.
Falce igitur resecetam Falce radici apponas. —
Eximia videlicet, admirabilis, Divina quasi Emi
nostri Principis Providentia, et Consilium, maiorem
et iam olim meliorem partem Ęgypti nostri Lu:
tulenti s., Paludiferi, et Putridi Bononiensis hu:
iusce

iusce Districtus, ab exundantibus, et perpetuo sta-
gnantibus mortiferis aquis, quę contra naturas ma-
ri negant, et cum naturę detrimento, et iniuria
nos obruunt, liberari curet.
Tunc non tantus prę Vetustate, sed prę maiori
Opulentia, prę Elegantiori Pulchritudine, prę
exterarum Gentium frequentia, prę Aeris deni-
que pretiosa Salubritate, Nobilissima, Felicis-
sima, Prędicatissima eris Bononia —
Verè Bononia, quasi Bona-Omnia.
Tunc quis Furor, quis Impetus, quis Enthu-
siasmus, dum tè Principem Emum, in quo tener-
rimum Cor, et delicata Pręcordia insunt, Patrem
Delitiam, Tutelare Numen vocabunt Populi. Con-
fusi tamen prę inaudito, et iam diu vehementis-
simè exoptato, sublimi, ac supremo Beneficio dul-
cissima quadam contentione quęrentes, quas Grates,
quas Laudes — —
Quas Laudes? — —
Heros iste laudabilia omnia facit, laudari non
cupit. ——
Quas Laudes? —
Omnes recensere, impossibile.
Aliquot, prolixum.
Unam tantum, iniustum.

Dicebam